



# Visio Algarazabel super revolutione politica anni 1626

<https://hdl.handle.net/1874/18773>

Tho 1490.

7

V I S I O  
ALGARAZABEL.

S V P E R

REVOLVTIONE POLITICA.

Anni 1626.

*Et erit post hæc : Effundam spiritum meum super  
omnem carnem : & prophetabunt filij vestri  
& filia vestra : senes vestri somnia-  
bunt, & iuvenes vestri visiones  
videbunt. Ioel. 2. 28.*



Kalendis Ianuarij cio. ioc. xxvi.

V I S I O  
ALGARAZABEL.

S V P E R  
REVOLVTIONE POLITICA

Anni 1626.

**H**ÆC est illa Visio  
Fidelis & stupenda,  
Quam vidit *Algarazabel*  
In Valle non dicendâ.

Annus erat sexies  
Centenus & millenus,  
Sextus & vigesimus.  
Hic numerus est plenus.

In Capricorni remorâ  
Sol adhuc hæsitabat,  
Conuersa Iani facies  
Kalendis suis stabat.

Sedebat *Algarazabel*  
Pensando multa pressus,  
Et rerum graui pondere  
Considerando fessus.

Cur tota tot discordijs  
Europa fluctuaret,  
Cur per alterna viscera  
Gens gentem vulneraret.

Quid esset quod Lombardiam  
Et Ligures moueret:  
Gibbosus cur Sabaudiam  
Senecio cieret.

Quid Hugonotta agitent  
In Galliâ confusi,  
Seu missi Aquitaniâ  
Seu qui Rochellâ clusi.

Cur Insulani caudices  
Britanni nauigarent  
Immensum per Oceanum  
Et prædis inhiarent.

Quid Pseudo-rex iuuençulus  
Extorris cogitaret,  
Dum pœnas temerariæ  
Ambitionis daret.

Vexilla cur erigeret  
Et vela contra gentem  
Fuscicoloris Hesperii  
Hem! nimium potentem.

Quis esset in Germania  
Origo tot malorum :  
An pacis spes cohæreat  
Cum spe Comitiorum.

Cur coadiutor lectus sit  
Ad Magdeburgi vota ;  
Qui regnet in Diœcesi  
Et ditione tota.

Cur Transyluani negligent  
Et Walachi Bathorem :  
Cur Lotharingi fœminam  
Recusent successorem.

Cur Belgica tot pellibus  
Circumdata leonum  
Adbuc in prædam cederet  
Tot armis nationum.

Cur Danus se immisceat  
Querelis vicinorum,  
Qui posset solus ducere  
Choreas extra chorum.

Gustauus cur Lyf landiæ  
Infestus sit colonis,  
Iniquus qui est Sueciæ  
Detentor à Polonis.

Quid turbulenti Veneti  
In fœdera coniungant,  
Et superos, & inferos  
Vt Austrios emungant.

Multa super singulis  
Suspirans agitabat  
Quietis sub silentio  
Quam nox obscura dabat.

Et ecce dum per apices  
Tot rerum diuagatur  
Ad modum auræ tenuis  
Audita vox quæ fatur :

Quid mœres *Algarazabel*,  
Quid mœres & te angis  
In hisce quæ non capies  
Dum manibus vel tangis ?

Quin age mentem erige  
Et esto sine cura  
In rebus quibus desuper  
Est pondus & mensura.

Cognosce res, sed scrupulum  
Depone quæritandi,  
Cur fiant hæc & alia  
Confusione grandi.

Iustitia cùm desijt  
In terris habitare,  
Successit *Statûs Ratio*  
Calamitatum mare.

Quid illa sit, Rex Iupiter  
Non nouit, sed nouerunt  
Qui eam tot miserijs  
Patronam statuerunt.

Exhau-

Exhaustus fons & arboris  
Emortuæ radices :  
Quicquid conentur homines  
Sunt rebus suæ vices.

Falluntur qui versutijs  
Hæc cuncta metiuntur,  
In quibus magni Numinis  
Tot placita cernuntur.

Huc flectant, illuc torqueant  
Per fas nefasque ruant,  
Videbis ut infidias  
In cœlum frustra struant.

Si vis ut tibi disseram  
Sincerè quid futurum,  
Consilium nequitiae  
In fumos abiturum.

Affurge, & me sequere  
Videbis quæ nunc latent,  
Secreta quæ mortalium  
Aspectui non patent.

Vides hic de Genua  
Quam moues quæstionem  
Et ibi Longo bardia  
Opimam regionem ?

Quæ causa sit tot cladum  
Si vellem enarrare,  
Stuperes tu nec cuperes  
Narranti fidem dare.

Arcana sunt Imperij  
Quæ paradoxa credunt,  
Qui charitatem proximi  
Ob regna nunquam lædunt.

Tu transfer in Sabaudiam  
Et oculos, & mentem,  
Et vide quem monueras  
Senecionem flentem.

Non decet fletus militem,  
Et tamen flet pro vero,  
Dum vastat vulpes vineam  
Cum singulari fero.

Appensus in statera est,  
Inuentus minus habens,  
Qui deprædatur alios  
In foueam delabens.

Coibunt duo capita  
Quæ vallem ob Telinam  
Mouerunt dira prælia  
In populi ruinam.

In manus ambo venient,  
Et jungent unà vires :  
Romana quantum Curia.  
Gauderes, si hoc scires.

Et scies, sed præmonco  
Concordiam tu foue,  
Et ad conatus arduos  
Cognata sceptrâ moue.

Cur volant vespæ Venetæ  
Et Rerumpublicarum  
Heluetij illecebræ  
Origo tot rixarum ?

Captentur vulpes paruulæ,  
Quæ fraudes moliantur,  
Et fodiendo foueas  
Radices depascuntur.

Affurget tunc Italia,  
Et Roma triumphabit,  
Dum Austria cum *Clis* *lilij*  
In vera pace stabit.

Iustitia & veritas,  
Dum sese complectentur,  
O Reges intelligite  
Quæ bona vos sequentur.

Florebit causa si dei  
Doctrinæ Orthodoxæ,  
Submittet caput Hæresis,  
Vel danda statim noxæ.

Odorem spargent Lilia  
In hortis Galliarum,  
Non erit qui suffodiat  
Radices vinearum.

Tunc Hugonottæ supplices  
Non venient libelli  
Innatâ qui vafritie  
Fel contegant sub melle.

Rochella tunc non poterit  
Ab anglis defensari,  
Non erit tunc profectio,  
Quæ scitur præsentari.

Duobus tunc securitas  
Monarchis concedetur,  
Dum se turbandi iuspicias  
Formido sustolletur.

Hinc transi *Algarazabel*,  
Et Septem-ad-trionem,  
Bootes quâ non promouet,  
Metire regionem.

Immiscuit se Dania  
Querelis vicinorum,  
Post paruum tempus incidet  
In manus Austriorum.

Stat scriptus adamantino  
Hic sermo caractere,  
Qui causam malam suspicit  
Iubetur respondere.

Holsatia mirabitur  
Et fauor ab Hispano  
Fideli viro dabitur  
A Vate sed non vano.

Tum spurius Mansfeldius  
Et semiuir infanus  
Iacebunt trunca corpora,  
Priusquam cesset Danus.

Nec trepida quod transitum  
 Per Luneburgum facit:  
 Conatus ridet hominum,  
 Qui fulmen solus jactat.

Inuentus est qui faciat  
 Hunc Slesia fauorem,  
 Vt turbatoris Patriæ  
 Dîs offerat cruorem.

Garleben circumdabitur,  
 Pauebit Tangermunda,  
 Freistadium lætabitur,  
 Sed forte non secundâ.

Hic dimicat Walfteynius  
 Pro Regno, mirum dictu,  
 Recense quanta millia  
 Procumbant hoc conflictu.

Fluenta Albis conspice  
 Cruore purpurata,  
 Hamburgum, & Rostochium  
 Pauore consternata.

Mouebit Brandenburgico  
 Lis propria furorem.  
 Sed sequitur exercitus  
 Ad pascua pastorem.

Pastorem quem nō nomino,  
 Nec opus nominare,  
 Dum opus est ouiculis,  
 Quas ducit pastum dare.

Sic pauit gregem Moyse  
 Et Iosue deduxit,  
 Hic alter est quo melior  
 In acie non luxit.

Hic Hector est Brabantia  
 In canâ senectute,  
 Tot ductor in victorijs  
 Pro Belgicâ Virtute.

Nunc vide à quo durius  
 Tractatur Lithuanus,  
 Vt Vladislao supplices  
 Protendat ultrò manus.

Vindicta manet impium,  
 Vel fera, vel festina,  
 Gustauum bella Suecia  
 Inuadunt intestina.

Ne quære de Comitij  
 Germaniæ quid rei:  
 Concurrent magna capita  
 De quibus multum spei.

Sed hui! quàm difficile  
 Res inter se ligare  
 Diuersis quæ foederibus  
 Sciuntur discrepare.

De Magdeburgo quaestio  
 Suspensum te non angat,  
 Debetur hoc Saxonie,  
 Vt nemo jus hoc frangat.

Quem

Quem Saxo non exhibuit  
 Império fauorem,  
 Cessando solus expulit  
 Qui regno inuasorem

Hoc fatum Lotharingæ  
 Quod tempore futuro  
 Paratur matrimonium  
 Pro Duce successuro

Sed dicere prohibeor  
 De Romanorum Rege,  
 De Præsula Colonia  
 Pro Eburonum lege.

De Frederico Comite  
 Nil fiet, sed pro natis  
 Est aliquid quod suspicor  
 Quod fiet fortè gratis.

Britanniæ Rex Carolus  
 Regauit pro sorore,  
 Vt habeantur filij  
 Immunes ab errore.

Non errant, dicunt, foeminae  
 Sed ducunt in errores,  
 Quid peius sit dispiciant  
 Virtutum qui censores.

Sic aiunt quod mulieres  
 Rarissimè domentur  
 Et quæ sunt Regum filia  
 Coronas infectentur.

Hæc luet culpam conjugis,  
 Dum mori vult Regina,  
 Et ille vult Rex dicier  
 Sit licet in popina.

Popinam dico, potui  
 Carinam nominare,  
 Nam dum per terram exulat  
 Regnare vult per mare.

Sed ecce regnum breuius  
 Quàm Pragæ quod dabatur,  
 E Gaditano littore  
 Inuasor dum fugatur.

Non vides ferri nauibus  
 Reliquias Anglorum,  
 Remensis queis Oceanum  
 Reuerti indecorum?

Hæc illa classis Regia,  
 Hæc naues violentæ,  
 Quæ metum frustra faciunt  
 Neptuno cum tridente.

I nunc metire machinas,  
 Et vastum apparatus,  
 Dum nescis iras Superum,  
 Qui diruent conatum.

Et tamen si ad lapidem  
 Offendent bis eundem,  
 Vt pro labore referant  
 Stipendij tantumdem.

Non

Non solent reges unicâ  
 Conuerti velle plagâ,  
 Nec videt cæcus Pharao  
 Quid dicet mens præfaga.

At miseret quod Carolus  
 His malis detinetur,  
 Quæ solum propter regulum  
 Se pati profitetur.

Optaret nunc amoribus  
 Cum Fruge operari,  
 Et in reginæ de decus  
 Pedissequam tractare.

Bucquingam exposuit  
 Clenodias regales  
 Ob summulam pecuniæ  
 Expensas ad nauales.

Testatur id Hollandia,  
 Testatur Amsterdammum :  
 O Angli sine frugibus  
 Hunc amputate ramum.

Vertetur mare citius  
 Britannia in vinum,  
 Quàm Heidelberga redacem  
 Videbit Palatinum.

Nunc pauca de Leonibus  
 Intellige Belgarum,  
 Prædones qui sunt maximi,  
 Et principes ferarum.

Hos cicures efficere  
 Ingenij & artis,  
 Queis libertatem tollere  
 Vis nequit longa Martis.

Pacem multi clamitant,  
 Et volunt esse pacem,  
 Seu per Vlyssëm subdolum,  
 Seu bellicum Aiaccem.

Superbit Ajax viribus,  
 Vlysses valet fraude,  
 Nec hic nec ille faciet  
 Concordiam cum laude.

Non erit pax nec requies,  
 Replebitur mensura  
 Parentum in progenie,  
 Quæ plena mox futura.

Immane est quod video,  
 Immensum quod tacere  
 Compellit virtus altior,  
 Ne possit gens videre.

Dum peregrinus superest  
 Et nebulo vagatur,  
 Legationes obiens  
 Vt Belgium perdatur.

F. A. hic  
 omni: est  
 Bellia.

Tolletur vir è medio  
 Cui manus semper lotæ,  
 Bruxella quem deposuit  
 Vt nummum malæ notæ.

Non

Non vides ut flammiumos  
 Diducant duo rictus  
 Leonum feri catuli  
 Quis furor est inuictus?

Immotâ fati regulâ  
 Ambrosius signatus  
 Terrâ, marique efferum  
 Vt animal prematur.

Coaxant in littoribus  
 Aprico sole ranæ,  
 In stagna mergent capita  
 Sint licet Anglicanæ.

Catholicus rex imperat,  
 Rex Christianus jubet,  
 Mergantur fœdæ Bestiæ  
 Quæ nauigant quò lubet.

Accede, macta, dissecâ,  
 Qui subdolè fecere  
 Tranquillitatem Belgij  
 Ab Angliâ pendere.

Mirare sed industriam  
 Prudentis Gondomari,  
 Quo melior à Principe  
 Non potuit legari.

Agnosce virum Belgica,  
 Qui oculis & fronte  
 Exponit aquæ riuulos,  
 Qui latitant in fonte.

Hic ille est qui Charites  
 Quas loquitur, donabit,  
 Sed tu infælix negliges  
 Quod cœlum propinabit.

Infœlix quæ Leonibus  
 Armata generosis  
 Effecta es mancipium  
 Vulpeculis dolosis.

Sed meliora video  
 Et tempus anni clarum,  
 Quod ducet in Hispaniam  
 Colonias Belgarum.

Valentia deligitur  
 Palæstra voluptatum,  
 Vt ibi sedem collocent  
 Quis collocare gratum.

Et collocabunt plurimi  
 Iniquâ lege pressi  
 Sub impio regimine  
 Iam pati plura fessi.

Si narrem de militiâ  
 Quæ scio Christianâ,  
 Non ultra vult Ierusalem  
 Relinqui ceu pagana.

Magnorum sub auspicijs  
 Pandentur vela Regum,  
 Quis Alcoranum pellere  
 Pro Christo lex est legum.

Europa

ALGARAZABEL.

Europa consolaberis  
Et hæreses cessabunt,  
Dum Athei & impij  
Ab aulis exulabunt,

Vale *Algarazabel*,  
Et viue memor horum,  
Sed quidquid agas conprime  
Mysteria fatorum.

Dixit & enauit,  
Et ego mansi solus  
Conatus multa perere,  
Ne fortè subsit dolus.

Sed quicquid sit ænigmata  
Sphinx potest intricare,  
Non opus est Oedipodem  
In istis occupare.

Metire Lector tempora,  
Et vide veritatem,  
Constituo te iudicem  
Ad rei æquitatem.

*Non saluatur Rex per multam virtutem &  
Gigas non saluabitur in multitudine  
virtutis sue. Psal. 32.*

Inſcriptio vetuſti marmoris, inventi & eruti  
prope Coloniam Agripp. hoc anno 1626.

*Sirena Kal. Ian. Antiquarijs omnibus  
veritati aſſerenda.*

AVORVM LVXV. PATRV. ASTV. FRATRVM PRIVL-  
LEGIS. FILIORVM FASTV. NEPOTVM ÆMVLATIO-  
NE. IMPIORVM DOMINIO. ATHEORVM CONSILIO.  
ADVLATORVM FAVORE. PRÆSVLVM INCVRIA.  
HEREDIPETARVM DEVOTIONE. SOPHISTARVM  
AVLICISMIS. MVLTORVM HYPOCRISI. PAVCORVM  
FIDE. PLVRIVM AMBITIONE. OMNIUM PECCATIS.  
CORRVERVNT PLVRIMA. ET. O: IVPITER IAM FAC  
MIRACVLA. AVT IN PEIVS RVENT OMNIA, ET  
POSTHAC NIL PROFVTVRA TVA FVLMINA.

*Timete Dominum omnes Sancti eius : quoniam non est  
inopia timentibus eum. Psal. 33.*